Quelle: https://manuscripta.at/?ID=45
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



preter duos senes absconditos. Dixit ergo pu
ellis. Afferte mihi oleum & unguenta. & ostia
pomerii claudite ut lauer. Cum autem egresse
essent puelle. surrexerunt duo senes. & ad
currerunt ad eam. & dixerunt. Ecce ostia po
merii clausa sunt. & nemo nos uidet. Quam
obrem assentire nobis. & commisce nobiscum.
Quod si nolueris. dicemus testimonium contra
te. quod fuerit tecum iuuenis. & ob hanc
causam emisisti puellas a te. Ingemuit susan
na & ait. Angustie mihi sunt undique. Si enim
hoc egero mors mihi est. si autem non egero non
effugiam manus uestras. Sed melius est mihi absque
opere incidere in manus uestras. quam peccare
in conspectu dni. Et exclamauit uoce mag
na susanna. Exclamauerunt autem & senes
aduersus eam. Cum audissent clamorem in
pomerio famuli domus. irruerunt per
posticum ut uiderent quid nam esset. Postquam
autem senes locuti sunt. erubuerunt serui ue
hementer. quia numquam dictus sermo hui